



ILLVSTRISSIMO ET
REVERENDISSIMO D. D.
IACOBO DAVY,
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
PERRONIO, ARCHIEPISCOPO SENO-
nensi, Galliarum & Germaniarum Primati,
Magno Franciæ Eleemosynario,

HENR. SPONDANUS perpetuam felicitatem.



BLATA iam optimo iure uniuersæ Ecclesiæ Gallicanæ, Historiæ Ecclesiasticæ Epitome; modò ut Te unum è cunctis eius Antistitibus eligam, cuius speciatim nominis fulgore istud qualecumque Opus meum illustretur; tum monet ratio instituti compendiarij, cum Tu cunctorum os & manus à cunctis existimeris; tum etiam eius consuetudo, cuius latè diffusos labores una tabulâ proponendos suscepi; qui in singulis Annalium suorum Tomis, priusquàm ipsum purpura ceteris Cardinalibus, quos vel præstantissimos meritis æquabat, æqualem dignitate fecisset, in more habuit, post Summum Pontificem epistolâ nuncupare aliquem ex eis, cuius peculiari patrocinio Tomus ille securior in lucem prodiret. Suadet præterea, quòd cum uniuersa Historiæ seges à Romano Cardinale collecta, S. R. Ecclesiæ primò oblata, à Gallo sacerdote in unum manipulum colligata, nobilissimæ post Primam, Ecclesiæ Gallicanæ dedicata fuerit; Tu & dignitate Cardinalis Romanus, & sede Primas sis Galliarum. Aliæque plurima, ad hæc eadem spectantia, tam privata, quàm publica, prorsus compellunt: nimirum, Arctissima Tuû cum Illustrissimo BARONIO amicitia coniunctio: Historiæ Ecclesiasticæ ad miraculum cognitio; qui eius penetralia solertissimè perscrutatus, quibuscumque ipsius labyrinthorum ambagibus hæsitantes longè feliciori facilitate expedire consuevisti, quàm olim filo suo Theseum Dædalicis Ariadna: Ingenij prodigiosum acumen, non in ijs solum elucidandis, quæ licet difficilia, ab alijs tamen eruditissimis viris apprehendi possunt, sed in difficillimis quibusque ac desperatissimis sacre Theologiæ, & divinæ humanæque philosophiæ quæstionibus enodandis: Memoria plane divina, quæ non ad eum usum modò sufficiat, sed in stuporem usque procedat: dum quæ se-